



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Si timor pœnæ qui fuit in Christo seruilis vel initialis fuerit. L

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Domini fit mentio, ex alia tamen ratione & causa diuersa, dicitur seruilis timor initium sapientiae, & ex alia initialis. Seruilis enim ideo dicitur initium sapientiae, quia praeprarat locum sapientiae, & ducit ad sapientiam: sed tamen non remanet cum ea, immo foras exit. Initialis vero dicitur initium sapientiae, quia est in inchoata sapientia: quem cum quis habere incipit. sapientiam & charitatem habere incipit. Inde etiam est, quod vterque timor dicitur initialis: quod inuenire poteris per diuersa scripturae loca. Vterque etiam timor interdum dicitur seruilis: quia & ipse initialis, qui est in charitate inchoata, aliquid habet de seruili, scilicet, angorum poenae: sicut & aliquid habet de casto, scilicet, quod timet offendere ac separari.

De hoc quod August. dicit castum timorem esse aeternum. K

Illud quoque diligenter est notandum, quod in superioribus Aug. dicit castum timorem esse aeternum, per quod confirmatur praemissa sententia, sc. quod spiritus timoris erit in futuro, sicut & alia dona spiritus sancti, sed non habebit omnem illum usum, quem modo habet. Faciet enim tunc nos reuereri Deum, non timere separari vel carere. Fuit ergo & in Christo timor ille, sed iuxta usum illum, quem habebit in futuro in sanctis. Non enim timuit Christus separari vel offendere Deum, sed Deum pra omnibus reueritus est.

Ad Heb. 1. e

An timor poenae qui fuit in Christo fuerit seruilis, vel initialis, vel alius. L

Cum autem fuerit in Christo timor poenae, quaeritur an iste timor fuerit mundanus, vel seruilis, vel initialis. Ad quod dicimus, nullum eorum fuisse in Christo: quia timor mundanus malus est, ut supra dictum est, & in primo gradu cum mundo deseritur. Seruilis vero vel initialis in perfecta charitate non est. Nullus ergo timorum istorum fuit in Christo. Quis ergo fuit timor iste quo poenam timuit? Potest timor ille

dici naturalis vel humanus, qui omnibus hominibus inest, quo horretur mors ac formidatur poena. Et dicitur timor iste naturalis, non quia accesserit homini ex natura secundum quod prius fuit instituta: quia non fuit iste timor concretus homini, nec de bonis naturalibus: sed quia ex corrupta natura per peccatum omnibus aduenit: cui corruptio inoleuit, tanquam esset naturalis: & est iste timor, & effectus peccati, ut praedictum est.

QUOMODO DIFFERANT SAPIENTIA
& scientia.

DISTINCT. XXXV. A

*Aug. in 14. l.
de tri. c. 2. ad
medium.*

1. Cor. 12. b

*Au. ad ver.
6. Qui fir-
mavit ter-
ram.*

Post praemissa diligenter considerandum est, in quo differat sapientia a scientia. De hoc Aug. ita ait, Philosophi disputantes de sapientia definiunt eam, dicentes. Sapientia est rerum diuinarum humanarumque scientia. Ego quoque utrarumque rerum cognitionem, id est diuinarum & humanarum & sapientiam & scientiam dici posse non nego. Verum iuxta distinctionem Apostoli, qua dixit. Alii datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae, illa definitio diuidenda est: ut rerum diuinarum cognitio sapientia proprie nuncupetur, humanarum vero rerum cognitio proprie scientiae nomen obtineat. Neque vero quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, ubi plurimum superuacuae vanitatis & noxiae curiositatis est, huic scientiae tribuatur: sed illud tantum quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam: aliud est scire quomodo hoc ipsum & piis opituletur vel contra impios defendatur: quae proprio vocabulo appellatur scientia: De his quoque duabus virtutibus idem Aug. differentiam inter eas assignans super